

Q.K.352,70.

(X190 4000)

In  
6955

DEO COADJUTORE  
Sub  
Præsidio

DN. JOHANNIS RIEMERI,  
Histor. & Poëf. Prof. Publ.

*Dissputationem Suam*

De

FORTUNA  
SPURIORUM,

ad d. Octobr. A. O. R. M DC LXXXIII.


Exameni Eruditorum

Subjiciet

GOTTFREDUS ab HELDREICH,  
Eqves Super. Lusat.

Aut. & Resp.

Ovo specimine Augusdeo simul valedicet.



LEUCOPETRÆ,

Literis Joh. Brühl, Ducal, & Gymnas, Typographi.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

**DN. JOHANNI  
ADOLPHO,**

Duci Saxoniae, Juliæ Cliviæ & Montium  
Landgravio Thuringiæ, Marchioni Mis-  
niæ nec non utriusque Lusatiæ, Comiti  
dignitate Principali Hennebergæ, Comiti  
Marcæ, Ravensbergæ & Barby  
Dynaftæ in Ravenstein.

*PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

# SE RENISSIME PRINCEPS

Domine Clementissime

**A**d quem ire poterat inscriptio disquisitionis meæ, nisi ad Te, Publicæ felicitatis Centrum. Sic Reges ac Principes Savedra appellant. Et recte. Enim vero, quod pace gaudeant tuæ Provinciæ, id Pietas extorsit Tua: Tu usq; in DEUM expressit amor. Quod Civitatem nostram, inq; ea inclytum Augusteum, non morbis invaserit contagiosus: id tuis precibus imputandum & curis. Quod virgines Laribus interfis nostris, id ex tuo nobis exemplo. Nam Regis ad exemplum totus componitur Orbis. Quod & ego vivam ex honesta institutione: hic & mercaturam bonarum artium agere possim: id gratiissimo tuo nutrimento debeo. Evidem is tibi splendor & Magnificentia est, quæ Principes decet. Vere fruor Te Patre, cum Parentem non habeam. Per Te fortunæ reconcilior: quam porro non incuso, quod Orphanum me fecerit, cum in Te, Patre Patriæ, patrem mihi reddiderit benignissimum. Respice ea, quibus Deus Tibi rependit Istud charitatis officium. Vales: & tecum Illustissima Domus. Excubant pro tua  
A 2 Salute

I  
n  
s  
t  
i  
ti

*Salute Vigilantisimi Ministri. Major numerus Voto-  
rum Tibi à subditis. Unde & meas theses reddere potes  
fortunatissimas. Igitur neminem dum habeo, quem hæc  
mea industria lætificet, Te appello, Dominum mihi per-  
quam propitium. Prima vice in tuo Gymnasio dispuo,  
hęgo meum primum est disputandi specimen, Nutritio Te.  
Ergo cui debeantur hæprimitiæ, nemo consulat. Tibi  
soli, summo post Summum Patrono. Recipe eas & tege  
Gratia & beneficio. Cum inter eos me fateor, quo-  
rum virtutibus obstat res angusta domi. Quod  
reliquum est, acclamo illud Senecæ: Discat fortu-  
na à Te Clementiam, & sit mitissimo om-  
nium Principum mitis. Servet Te Deus seræ Po-  
steritati & Saxoniam omnem Sic studia florebunt, sempi-  
ternæ salutis remedia.*

## SERENISSIMI NOMINIS TUI

Devotissimus & subjectissimus

Gottfredus ab Heldreich,

I. N. J.

§. I.

**N**on est contra naturam, dari liberos spurios, ex illegitimo thoro natos: quemadmodum ipsi naturæ placuit, in suis operibus indulgere aliquid imperfectioni, quod tamen non intendit, juxta canonem. *Natura semper intendit id, quod est optimum & perfectissimum.* Nam vero, quod in materia & forma, primis rerum naturalium principiis, deficit, vel excedit, in eo natura contrarietur, non obstante, quod præter intentionem aliquid acciderit. Ita etiam Politica suis legibus multa intendit, quorum sepe evenit contrarium. Ita constitutum est legibus, non tantum divinis: juxta illud, Evæ & Adamo datum. *Crescite & multiplicamini.* Genes. I. v, 28. h. e. ut Species humana conservetur & propagetur in infinitum: sed etiam humanis: quibus unus mas & una fœmina, antegressis Ecclesiæ ritibus, illibato vivant thoro, juxta Regulam Politicorum, societatem nuptialem sic definientium. *Societas nuptialis est conjunctio maris & fœminæ naturalis à DEO instituta, ad sobolis procreationem & mutuum adjutorium.*

**S. II.** Verum enim vero, dum legibus hisce interdum obstat pruritus humanus; plusque animali naturæ permittit, quam præcepto rationis, accidit, ut homo instar bestiæ, non tam respiciat ad obsequium præstandum legibus divinis, quam ad concupiscentiam pravam & ignem carnis. Unde libidinosa voluntatis obedientia, qua homo ruit in

A 3

Venerem

Venerem illicitam & quandoq; in cestuosam. Hinc spurii  
nascuntur.

§. III. Quemadmodum vero natura, etiam monstris,  
nata si sunt, favet: Ita etiam fortuna talismodi spuriis, quos  
interdum legitimis felicioribus & ad consequendum virtutis  
splendorem aptiores esse experimur. Quare etiam mon-  
stra hæc moralia, quatenus feliciora sunt rectis, & honeste  
natis, per aliquot paginas ventilationi publicæ Eruditorum  
subjiciam, ostendens, quod multis parasangis major sepe  
sit salus spuriorum, quam eorum, quibus honesti fuere na-  
tales. Venia dabitur argumento, non adeo juvenili, meæq;  
ætati, quæ non tantum litis publicæ, sed etiam scripti hujus,  
Marte proprio, facit periculum. Cespitantem quippe vis  
superior Numinis divini, filo gratiæ ducet è Labyrintho.

§. IV. Duo sunt, quæ frontem disputationis meæ afficiunt,  
*fortuna* videlicet & *spurij*. Ubi statim monendum aliquid de  
significatione vocum, siquidem per fortunam hic non intel-  
ligimus fertunam confuse sic dictam, utpote quæ, accurati-  
us loquendo, in sensu philosophico, diversimode accipitur.  
Aliud quippe est fortuna in sensu physico: aliud in sensu po-  
litico. Priori modo est *causa per accidens physica*, in iis, quæ agunt cum  
*electione, finis alicujus gratia*. Arist. II. Physic. t. 49. 52. & opponi-  
tur *Casui*, qui causa monstrorum est. Posteriori vero modo,  
quæ nostræ est considerationis, fortuna politica est, & sumi-  
tur vel pro effectu, quatenus felicitatem & infelicitatem ho-  
minibus subvenientem connotat: vel pro causa, à qua feli-  
citas & infelicitas dependet ac dirigitur. In sensu priori, non  
est, quod nos moveamus: quippe tot rerum casus & exem-  
pla melius rem illustrant, quam discursus. In posteriori ve-  
ro noster erit conflictus: *Quo etiam se nimium fatigant*  
*Politici*.

§. V. Est & alia consideratio fortunæ, per quam olim in-  
tellexere Fortunam, istam Deam, calvam, cæcam, & rotæ  
insisten-

rii  
is,  
os  
is  
n-  
te  
m  
pe  
a-  
eq;  
us,  
vis  
nt,  
de  
el-  
ti-  
ur.  
o-  
um  
ni-  
lo,  
ni-  
ho-  
eli-  
on  
m-  
ve-  
ant  
in-  
tæ  
n-

insistentem: Gentilibus creditam, quæ à Romanis *Bona* fuit appellata & in nummo Antonini Getæ, dextra rotæ innixa, leva cornu copiæ tenens, expressa, de qua juvenalis: *Te facimus, fortuna, Deam cæloq; locamus.* Et de qua Martialis lib. 8. Epigr: 66. Item & Natales Comes lib: 4. c. 9. p. 338. multa faciunt verba. Ne vero sensum significationis meæ dimittam, declarandum est, quo gradu ea fortuna interpre-tanda & qui sensus apud Christianos obtineat.

§. vi. Multæ quidem Sectæ, quoad fortunam, surrexe-runt, inter quas famosæ fuerunt Stoica & Epicurea: qua-rum altera fortunam ad fati necessitatem; altera ad fortui-tum & cæcum casum redegit. Utraq; inter Christianos naæta est Patronum. Enim vero Epicuream Philosophiam egregie exornavit Petrus Gassendus, Præsul Ecclesiæ Dini-ensis, in Gallia. Ea tamen modestia & Religionis pietate, ut quoad nervum à Magistro plane defecerit: qui omnem DEI providentiam, circa res humanas, conatus est evertere. Quare Gassendus hanc quæstionem: *Num Deus speciali cura humanum genus regat,* studio defectionis, dimitit. Stoicam Philo-sophiam Lipsius commendavit, lumen illud inter eruditos sui seculi: quare & in manuductione sua, quam præmisit Philosophiæ Stoicæ, id agit, ut hoc philosophandi genus Orbi Christiano commendet. Ast, quæ mens ipsi circa hanc Philosophiam fuerit, in Tractatu de Constantiâ, lib. I. c. 20, id ostendit per discrimen, quod aperte facit inter Fatum Stoicum & Christianum. Quanquam illud mihi non placeat, quod capite antecedenti 18. eos excuset, qui de Fati necessitate ali-quid scripsissent: *potius in verbis scribendi sive differendi calore effusis,* quam in ipsâ re & sensu, meruisse censuram. Habere sermones si quid im-previdi, nihil tamen impii, & apud æquos interpretes haud longe abesse à vero.

§. Non procul ab his abest Gramondus Histor: Gallic:  
Lib.

Lib. xiiii. p. 600. Reges & Regna in ludibrium fortunæ datus esse. Item: Inter Hispanos & Gallos ire & redire belli æstum pro libidine reciprantois fortunæ,

¶ S. VII. Deus est, qui res nostras regit. Qui quoq; omnis fortunæ nostræ arbiter & moderator. Unde per fortunam nihil à DEO distincti aut adversi intelligendum esse patet. Quamvis non negem homini etiam aliquid relictum esse, quod, Deo permittente, ad suam fortunam possit contribuere. Quo in significatu spuriis fortunam competere assero.

§. viii. Altera pars tituli, meæ disputationis, vox *spurius* est, quæ simul quoq; à diversa significatione libera nda. Variam ea apud varios sortitur etymologiam. Græci deducunt spuriū  $\lambda\pi\tau\sigma\pi\circ\rho\gamma$  h. e. à semine, ideo, quod nihil habeat à Patre, nisi semen. Itali vocant spuriū, Bastardo, nato di meretrice. Ein Bastart oder Bandhart/ forte quod non strato semper lecto, sed super duro interdum scamno concipientur, vel ein unehlig gebohren Huren-Kind. Modestinus tradit, spuriū nomen inde deduci,  $\pi\alpha\varrho\tau\pi\circ\varrho\gamma\pi$ , h. e. à fatione, quemadmodum, & ista prior,  $\lambda\pi\tau\sigma\pi\circ\rho\gamma$ : sed nimis videtur generalis esse: cum utraq; derivatio etiam legitimis possit convenire. Idcirco multi existimarunt,  $\sigma\pi\circ\varrho\alpha\delta\eta\pi$ , legendum esse, i. e. sparsim conceptos & ex collectio semine editos, unde & Sporades Insulæ dictæ, quas tñ Institutionibus suis animadvertisit Theophilus. Et secuti sunt recentiores. Aliter tamen hujus verbi origo à Plutarchoc gravissimo & locupletissimo autore relata est: tradidit enim is in Problem: prænomina apud Romanos primis tantum literis notari solita, una, duabus, aut tribus, ut T. Titium, G N. Gneum, SER. Servium. C. Cajum, eodemq; modo Sp. spuriū, quod prænomen erat, designasse, usq; tunc etiam eos, qui sine Patre essent, qui græce ἀπάτωπες dicuntur: quia Patrem certum non norunt, aut etiam orbatos Parente, disjunctis literis,

I-  
ci-  
m-  
ru-  
pa-  
m-  
n-  
re  
u-  
la.  
e-  
hil  
o,  
od  
no  
o-  
gv,  
ed  
m-  
ut,  
ol-  
as  
nti  
r-  
lit  
ris  
R.  
g-  
n-  
lis  
is,  
literis, s. p. significari, i. e. Sine Patre. Cui non dispar illud: cui S. P. V. R. Senatus Populusve Romanus pater est. Quo cum illud Satyrici coincidit: *Cui pater est populus.* Quæ nota cum parum ab illa spurii differat, hoc errore deinde factum esse, ut spurii sine Patre dicerentur. Et hæc Plutarchi sententia, tametsi nostris, Modestino & Justiniano sit contraria, eo tamen probabilior videtur, quod plures apud veteres eo spurii nomine appellatos legimus, quos tamen constat legitimis fuisse natalibus ortos. Livius lib: 2. *Duo tamen cum eo nomine pudor tenuit viros, Spurium Laertium, ac Titum Heminium, ambos claros genere & virtute.* Idem cum dicit: narrat de Cassio quodam, *Spurium Casium filium jure patriæ potestatis nocatum, eo, quod dum Trib: pleb: esset, legem Agrariam tulisset.* De quo & meminit Valer: Lib: v. cap. 8. Et tamen scimus, patriam hanc potestatem ad solos justos & legitimos parentes pertinuisse.

§. ix. Possem & alios hoc nomine recensere, qui & honestissimi viri fuere & maximis dignitatibus decorati, ut Spurium Furium, Spurium Carvilium, & plures alios, qui ab Historicis summa cum laude memorantur. Quo recte constat, longe aliter id verbum à Veteribus fuisse usurpatum, quam Juris Consulti nostri tradiderint, cum apud Ciceronem, Livium, & alios ejus ætatis viros, ubi de Spurio fit mentio, id loco prænominis accipi solitum.

§. x. Sumpserunt autem nostri fortasse hanc Etymologiam à Græcis & Oratoribus quibusdam recentioribus, quos irridet in prædicto loco Plutarchus: addens, illud quoq; absurdum esse, quod dicebant aliqui: Sabinos muliebria pudenda, *sporion*, appellasse, unde & eos, qui legitime nati non essent, spurios, veluti contumeliæ causa vocatos. Suo loco linquimus nominis etymologiam, à Græco σπείρειν quod Spurii felici ad prolem suscipiendam editi sint auspicio, atq; ad liberos precreandos quam maxime idonei habentur,

beantur. Hodie tamen hæc nova significatio invaluit, ut spurium dicamus, quicquid non sincerum & legitimum est: Sic spurii versus apud Grammaticos. Spuria cogitatio, apud Philosophos. Quo sensu animi fœtum, h.e. scriptum alienæ autoritatis *spurium scriptum* appellare solemus: ut *Au-*  
*sonius de Aristarcho*: *Quiq; notas spuriis versibus apposuit*: quod tamen non proprie sed improprie seu metaphorice est intelligendum.

§. xi. Interim quicquid sit de Symbolis hisce Grammati-  
corum; rem tamen non exhauriunt, & verum de spuriis  
sensum suppeditant. Consulendi sunt Autores, qui rem,  
non nudum nomen expedient.

§. In genere spurius definitur, quod sit persona ex injus-  
to matrimonio sata. Ast omnes non una opinione tenen-  
tur Scriptores: quoniam spuriorum non una est conditio:  
Cum Spurius passim apud autores nihil aliud est, quam ille-  
gitimus partus, ex adulterio natus. Sive, ut supra dictum,  
qui eum patrem habet, quem habere non debet. Cui voci  
analogum est, nothus, οὐθος, Græcis. Secundum Suidam  
ex particula νο, habente vim privandi: & nomine θειος: ut  
ita dicatur, quasi ἐπερημένος τοις θειαις, της ἐξενόμει γάμοις γεννήσεις.  
Secundum Etymologum ab ὀνω quod est μέμφομαι & βλαπτω  
fieri ait, ὄνοτος & abjiciendo, οριζομενος; T in θ, dici νόθος  
Scap. L. N. p. 1103, ut nothus sit, natus ex uxore non legiti-  
ma. Vel ut Isidorus lib. ix. c. 5, dicit. Qui de Patre nobili  
& matre ignobili gignitur, tanquam ex concubina. Deficit no-  
men in Latinitate. Quare Palatius spurium notho oppo-  
nit, dicens: *Notho contrarius est spurius, qui de matre nobili & Patre*  
*ignobili nascitur.* Item *Spurius patre incerto, matre vidua genitus, velut*  
*tantum spuri filius:* quia muliebrem naturam Veteres spuri-  
um vocabant, veluti δυποτος σπόρος hoc est, à seminis, non patris  
nomine. Eos & Favonios appellare solebant antiqui: quia  
quædam



quædam animalia, Favonio spiritu hausto, concipere existimabatur. Unde & Bartolus dubium movit, an puella unithoro juncta, conjecta in carcerem, aut arcem, vigiliis munitam, probari possit, unius viri. Item quid sentendum, (Palatius obijcit) si crate ferreo genitalia mulieris quasi circumcludantur. Quale instrumentum adhuc in armamentario Decem-virorum Veneto videri fatetur, à quodam ex Carrariensibus, zelotypia quondam fatigato, constructum uxori suæ. Imo quid dubii, sin ærii quidam Dæmones suspecti fiunt, ut de Danae & aureo imbre fabulati sunt Veteres Poetæ. Forte & magica quædam præstiglia offendunt, quibus de Wierus integrum tractatum edit, *de Prestigiis Demonum*: quorum vi clausis januis, pueros fascinatos, virgines stupratas legimus. Et quid tandem, verum si sit, quod equæ Hispanicæ solo vento concipient? de quibus Ovidius.

*Ore omnes versæ in zephyrum stant rupibus altis  
Exceptantq; leves auras, & sepe sine ullis  
Conjugiis, vento grava: mirabile dictu.*

§. XII. Placet sententia Romana, quæ spurium in genero pro quolibet illegitimo accepit, perq; eum intellexit, quicquid damnatam prolem comprehendit: Qui sensus & me movit, quod disputationem meam sic inscriberem: ut non defuerit acceptio vocis specifica, spurio intellecto pro eo, qui ex muliere cuiq; exposita natus: ad instar materiæ primæ, quæ omnes formas indifferenter recipit. Quomodo spurius est proles, ex diverso semine orta, & ex hominum colluvione genita, sparsimq; concepta. Propter hanc causam spurii alio nomine *Varii* appellantur, eo, quod ex vario sint semine collecti. Quare & Lampridius Helio-gabalum *Varium* appellat: quia natus ex meretrice.

§. XIII. Illos, qui ex personis inter se pactis, ante vel justo non tempore, post nuptias nascuntur, Pallatius incestuosos appellat.

appellat. Haud dubie cum respectu ad antiquitatem: quoniam tales sine pudoris cingulo, & forma conjugali progignantur. Olim enim noviter nuptæ cingulo, quod pudoris dicebant, & Latinis Zona audit, præcingebantur. Illud Ceston appellebatur, seu cingulum pudoris, quod discindi, fas nemini, nisi sponso erat. Exinde proverbialis metaphora: *Zonam solvere*. Id est sponsam cognoscere.

§. xiv. Nefarios vero dicit eos, qui ex affinitate vel sanguine coniunctis nascuntur. Nefarius quippe ipsi idem est: ac natus contra jus: Fas enim jus est: Nefas contra jus.

§. xv. Adulterini ex adultero coitu nomen habent.

§. xvi. Dantur & apud Pontificios *spurii sacrilegi*, qui ex Sacerdote procreati, aut ex Monacho vel Monacha, quorum numerum nemo certe experitur per annum. Non nulli eos etiam Adulterinos nominant dicentes: *Thorum Deo dicatum non ab homine violandum aut dividendum esse*.

§. xvi. Hybridæ vocabantur antiquites, quæ ex fera & domestica sue progenita, semifera dicebantur animalia. Quemadmodum mulus ex Asina & Equo, aut canis ex venatico & gregario. Id quod & in hominem transferebant, ut Plinius scripsit de C. Antonio, Ciceronis Collega in Consulatu L. viii. c. 51. Unde & apud Italos, mulus pro spurio sepissime auditur. Puto Hybridas dictos ab ιβριξο, insolens & protervus sum, quod verbum ad luxuriem deflectit naturallum, quæ libidine nascendi afficiuntur. Vites enim ιβρισκα dicuntur, si frondibus luxuriare solent. Inde ιβρισκα, festum Argivorum, quo mulieres insolentius in maritos agebant, vestibus induitæ virilibus.

§. xvii. Scatium apud Homerum invenio clandestino natum concubitu: ut de Bucolione: πρεσβύτας τῷ φυεῖ, σκότιον δέ γεινατο μῆτηρ.

§. Alia



§. xviii. Alia vox est Spartanis, nempe *Parthenias*, qui ex ea est productus, quæ cum nuberet, credita est virgo.

§. xix. Bastardus agmen claudit nominum, quæ spuriо conveniunt, & pro quolibet illegitime nato vulgo usurpatur. Itaq; an approbari possit judæorum mos, apud quos uxori defuncti fratri alter frater jungitur: quiq; nascitur filius, censetur prioris conjugis. Idq; juste. Cardan. de util. ex advers. cap. L. IV. c. 18. aut, an justa sit Lacedæmoniorum consuetudo, qui uxores suas adamato adolescenti subjiciebant, filiosq; suscepitos pro suis alebant. I. c. id judicio linquimus Christianorum.

§. xx. Inter has diversas spuriorum nativitates, jus beneficium finxit per Majestatem, quod inter partes fortunæ spuriorum prima est, ut nempe restitui possint deprevati eorum natales. Appellatur illud *legitimatio*. Quæ tamen iis tantum datur, quorum Pater & Mater, si non actu, potestate tamen conjuges fuere. Legitimationi præsunt Comites Palatini, qui Majestatis indultu, ea potestate gaudent. Quibus tamen præscriptus est modus, ne in omni casu & statu proclivis sit legitimatio: quo exulet privilegii abusus.

§. xxI. Neq; male processit ea constitutio: si quidem ipsa natura declamat pro spuriis. Quid enim reatus in semine Parentum, quod illegitime contra legem politicam, disponunt? ergo ut innocentiae subveniatur, triplicem modum legitimationis Potestas superior adinvenit. I. Per subsequens matrimonium. II. Per oblationem curiæ. III. Per Rescriptum Principis superiore non recognoscens. primus modus, qui fit, per subsequens matrimonium, tantam vim habet ut legitimatus habeatur pro legitimo, & filium naturalem legitimum excludat, si legitimi nativitatem legitimatio præcesserit: quia alterius jus quæsumus auferre nequimus. Huic annexit Palatius egregiam quæstionem: an Regis Primo genitus, natus, antequam pa-

rens occuparet Regnum, præferatur filio nato, post usurpatum Regnum? Cui gladius potius quam calamus responderet. Quæstionem non decidit. Negativam tamen approbare videtur, quoniam satis esse dicit, quod Artaphernes frater Darii, Regis Persarum inter duos nepotes suos, Artamenem primogenitum Darii, natum tamen ante Regnum adeptum, per Patrem; & Xerxem secundo genitum, natum, patre Rege existente, statuit, ut scilicet ipse Xerxes Artameni fratri prælatus fuisset in Regno.

§. xxii. Oblatio curiæ legaliter legitimat. Nec minor est antecedenti. Interest enim publicæ felicitatis. Oblatio tamen justa esse debet, nec citra casum necessitatis. De quo Jephta nobis est speculum, qui æq; contra leges natus: vocatus tamen Rex à Patria, quem antea nolebant civem: *Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* Item Arnulphus postea Imperator, cum à Carolomanno Patre Bavariæ oblatus esset Regno.

§. xxiii. Tertius legitimandi modus nascitur *ex re*-*scripto Principis, superiorem non agnoscentis*: puta Imperatoris, Pon-tificis aut Regis. Cui quæstio se insinuat: *an Comites Palatini proprios suos spurios legitimare possint?* quod negat Harprechtus. Quamvis enim legitimatio voluntariæ jurisdictionis actus, tamen cognitionem desiderat, causæ ergo. Et qui talem desiderant, non expediuntur per Magistratum in propria causa. Alias enim, si sic esset, Comes, si proprium spurium legitimare posset, invitaretur sua arte, ad delinquendum, illicita Venere. Accedit & textus: *Ubi, dum soli Regi legitimandi datur potestas, ad alios non extendenda.* Huc usq; de fortuna & spuriis. Nunc etiam de fortuna spuriorum.

§. xxiv. Placet mihi hac in consideratione, illud Sophoclis, apud stobæum serm: 196. *Nothus, seu naturalis, si probus est æq; ut legitime natus valet.* Apud Tartaros spuri & legitimi pares. H. Grot. de I.B. & P. p. 139. Omne utile ingenuam

nuam habet naturam. Arida seminatio sepe vincit pingue terram. Interdum & nothi legitimis præstantiores. Exinde Germanorum proverbium: **Je grôsser Huren-Kind, ie besser Glücke.**

§. xxv. Vexata quæstio etiam minus eruditis non ignota: *Cur spuriis plerumq; legitimis præstantiores evadant?* Forte compensat natura, quod abstulit lex. Idq; peculiaris naturæ providentia censetur, ut indueret virtutibus, quos hæreditate & familia nobilitateq; exuturum erat sumimum jus. Accedit major amoris vis, quam seminis inter illegitime cœuntes. Certum est, majora & excellentiora produci ingenia, cum non ex conjugii consuetudine: sed flagrantis amoris cupidine, mojoriq; voluptate mas & fœmina copulantur. Quam raro gibbosa, clauda, vel cæca videntur corpora, cum mulier ex adultero concipit vel amasio. Magis vero venusta, pulcra, speciosa. *Famulatrix enim natura, inquit noster, cuius officium in generatione est obsequium, ea conglutinat organa, quæ informagraphia Phantasiæ generantis expressa sunt.* Nec datum naturanti, vel moventi naturæ, motæ, vel naturatæ lineamenta transcendere.

§. xxvi. Imo, præter naturam & ingenium, etiam fortuna succurrit, utpote quæ ab orbis incunabulis impurorum natalium fuit moderatrix. Hæc tamen non asserimus in universali: Siquidem non omnibus spuriis datum fuit, Corinthum adire: quandoquidem non nullos ab ea fortunæ lege vidimus exceptos. Sic apud Athenienses, nothos olim à censu & aliis civilibus munéribus exceptos; nec in gente adscriptos, legimus. Palat. L. VIII. c. 5. 22. apud Suevos, Gothos & Norwegios, nemini spuriorum olim licuit versari inter honestos. Mag. L. XIII. c. 6. apud Persas vero nefas, spuriū obtinere Regnum, si legitimus adsit. Plutar: in Æmil.

§. xxvii

um  
stio-  
tur,  
arum  
n an-  
s, pa-  
latus  
  
nor  
bla-  
De  
tus:  
em:  
Ar-  
Ba-  
  
x re-  
Pon-  
atini  
tus.  
tus,  
lem  
pria  
ium  
um,  
man-  
a &  
  
So-  
is, si  
z le-  
ge-  
am



§. xxvii. Veneti spurious plane excludunt, ut ne quovis tempore, et si natalibus restituti, in Nobilium numerum cooptari possint, habeantur prolegitimis. vid: Statut: Venet. Nobil. L. IV. c. 29. Et quamvis olim per subsequens matrimonium legitimati fuerint, hactenus tamen id non amplius valuit. Prætereaq; bis correcta sunt ista statuta, non tantum Anno 1418. sub 29. Mart. die. Sed etiam Anno 1617. d. 21. Quibus pleno concilio cautum, ne ulli spurii ad Feuda & Fide commissa admittantur: quamvis legitimati. Permittuntur vero ipfis bona & munera publica: ut sunt: Notariorum, Cancellariæ, Vicariatus, Assessoriæ &c.

§. xxviii. Nec tolerantur Nothi apud Venetos, inter Doctores. Quare etiam Palatius redarguit Pataviam Academiam, quod in ea multos spurious Laureatos, hoc est, Doctores promotos viderit. l. c. Quam legem Bononiensis acrius observat: non obstante, quod in ea republ. illegitimum legitimis pergant. Constitutum tamen est in ordine Doctorum, ne ullus nothus unquam recipiatur, in Doctorum concilium. Fuere, qui istam legem sepius conati sunt violare: sed frustra. Nescio vero, an idem probari possit de Collegio Cardinalium, eo, quod Alexander VII. Pontifex, ab Hispaniarum Rege rogatus, ut Johannem Austriacum Philippi nothum crearet Cardinalem, lepide responderit: *non posse: quia in Cardinalium collegium nunquam adsciti fuerint bastardi, in Pontificum vero licere.* Quod tamen falsum esse ait Palat: c. 6. quia Clemens VII. dum sibi adversum in creatione, Cardinalem Mantuanum, haberet, forte ex dissimulatione invidiae alloquenter & eo tempore horologium pulsat, quod Cardinalis secum in marsupio ferebat, redarguit, dicens: nil mirum à vobis pendere tintinnabula, mulorum cum sint.

§. xxix. Ita Mediolani servatum, ut nec Jasonem I. Consul-

Consultorum Principem, ullo fuerint prosecuti privilegio.  
Palat: L. VIII. c. 5. 24. Ejusdem Jasonis paterno in elogio  
lepidum legitur legatum: *Relinquam filio meo mulo, mulam.*  
Galli, & non nulli Germanorum certa insignia ad discer-  
nendos spurious à legitimis, invenerunt, scilicet, adjecta  
transversæ lineæ nota; quæ injustorum natalium judici-  
um. Palæot. c. 60.

§. xxx. Sic & alias miserias sunt experti spurii. Mar-  
garita Comitissa, Flandriæ, ævivirago, nullis meritis, preci-  
bus aut muneribus impetrare potuit, ut Balduinum spuri-  
um, designarent successorem. Æmil: l. 7. Quod & virtus  
Albertii Landgravii Thuringiæ consequi non potuit, dum  
subditi Apizium illegitime natum, respuerent, nec pro le-  
gitimo hærede agnoscere vellent. Ricc: in Chron: Reimun-  
dus Gothorum & Suecorum nothus, quamvis per subse-  
quens matrimonium legitimatus, Regniq; hæres testa-  
mento declaratus: nunquam tamen à subditis na&tus ob-  
sequium. Mag: L. XVIII. c. 6. Hiempfali à Jugurtha  
structas technas: & iterum, Talionis jure, Ingurtam à Nu-  
midis desertum, retulit Salustius.

§. xxxi. Quid, quod de spuriis interdum nihil fidi &  
candidi sperarre possit Respubl: Immanitatis exemplum  
spurius Abimelech posteris ostendit Judic. ix. qui regnandi  
cupidine incensus, septuaginta fratres uno in lapide truci-  
davit. Phraates proprium genitorem occulte interfecit,  
ut Regno potiretur. Sabell: l. I. Heinricus II. nothus Al-  
phonsi XI, Petrum, legitimum Regni hæredem obtrunca-  
vit, invaso Regno.

§. xxxii. Interim negari non potest, quod fortuna  
spuriorum plerumq; secunda, adeout ea felicitas in Histo-  
ria multam faciat paginam. Nec indigni spurii summa  
sepe fortuna. Unde cunq; homines nascuntur, si vitia pa-  
rentum

rentum non se&tentur & Deum recte colant, honesti & sal-  
visunt. *De vitiis parentum non erubescamus.* Sed unum illud quera-  
mus & amplectamur, virtutem videlicet. Chrysost: hom: 3. in  
Matth: Semen ex qualicunq; homine, Dei creatura est, &  
eo male utentibus, male erit. Sicut bonus filius adultero-  
rum nulla est defensio adulterii: sic malus filius conjugato-  
rum nullum est crimen nuptiarum.

§. xxxiii. Non dubium est providentiam Dei sic sta-  
tuere, de legitimis æq; ac illegitimis; Cum nulla per o-  
mnem orbem dignitas, qua simul illegitimi non sint potiti.  
Refert Palæotus, magnum catalogum illegitime natorum,  
quo multi maximarum dignitatum spurii ad seriem alpha-  
beti exhibentur. Quem Catalogum insigniter auxit *Palatius*,  
in allegata Monarchia Occidentali. qui Autor confu-  
lendus.

§. xxxiv. Melior fuisset ordo, si numerum spuriorum  
ad classes dignitatum revocasset. Ita statim videre liceret,  
quinam Imperatores nothi. Ita in hac dignitate spurii fue-  
runt *Alexander Severus*, *Aurelian*us, *Arnulphus ex genere Caroli M.*  
*Constantinus magnus*, quem tamen Cluverus pro legitimo de-  
fendit. Forte ex erroris suspicione. Quia Constantinus  
Spurium suscepit ex Minervina, quem appellavit Crispum:  
quemq; propter raras virtutes adeo amavit, ut eum Cæsaris  
titulo ornaret. Zosim. §. 8. Item *Heliogabalus*, *Galerius Maxim*.

§. xxxv. Regiæ dignitati spurii præfuerunt plures.  
Ex Sacris. Abimelech, Rex Sichemitarum. Amalec, à  
quo gens Amalecitarum in Idumæa. Jephta. Salomon &  
alii. Ex civili historia, catalogus major, quam hic potest  
recensi. Inter Anglos Reges Adestanus notatur, qui  
ex Eduardo & Epina rustica, inter venandum genitus. In-  
ter antiquos, M. Alexander, quem non Philippo sed Regi  
Hatabano

Hatabano ex matre Olympiade natales debere, dicunt. Arnoldus Rex Britanniæ. Artaxerxes, Rex Persarum. Clodoveus, Rex primus Francorum. Quemadmodum Romulus Rex primus Romanorum. Darius. Entius, Rex Sardiniæ. Ferdinandus, Rex Neapolitanus, ex Alfonso, Rege Aragoniæ. Manfredus, Rex Neapolitanus. Heinricus, Rex Hispaniæ. Heinricus & Tancredus, Reges Siciliæ. Jacobus Rex Cypri. Ludovicus & Thedibertus, Reges Francorum. Raimirus, Rex Aragoniæ. Sigisbertus, Normandiæ Rex. Et citra hos alii, plures.

§. xxxvi. Duces vix numerari possunt, qui natalibus impuri, leges offendunt. Inter quos notissimi: Alexander Mediceus, Dux Florentiæ. Borsus Dux Ferrariæ. Johannes Austriacus, Caroli V. Notus. Sed manum de tabula.

§. xxxvii. Neq; Papali titulo nothi defuere. Damasus ipse Papa scribit. *Osius Papa, fuit filius Stephani subdiaconi. Bonifacius Papa fuit, filius Jucundi Presbyteri. Felix Papa, filius Felicis Presbyteri, de titulo fasciolæ. Agapitus, Papa, filius Gordiani Presbyteri. Theodorus, Papa, filius Theodori Episcopi de civitate Hierosolyma. Sylvarius, Papa, filius Sylvierii Episcopi Romæ. Deus dedit. Complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati, Apostolicæ sedi præfuerunt. c. 5. Aut quis non alios scit? inter quos Dionysius I. Clemens VII. Johannes X. Leo V. & iterum alii.*

§. xxxviii. Quid? si inter lumina eruditionis spuriorum faces quoq; canduisse ostenderem. Demosthenem, Græciæ Ciceronem, omnes fatentur nothum. Item præter Jasonem etiam Bartholum ICtum. Christophorum Longellium, celebratissimum illum Oratorem. Gratianum, Decretorum Compilatorem. Pomponium Lætum ut testis Sabellicus in ejus vita ad Maurocenum. Erasmus quoq; Roterodamum inter illegitimos Palæotus refert.

C 2

§. xxxix

§. xxxix. Imo Sanctis non defuit istæ nævus, quos inter Albinus martyr, ex incestu Patris cum filia natus. Aut sancti viri, si non ipsi spurii, injustorum tamen natalium Parentes extitere. Non injucunda est Epistola Æneæ Sylvii, inter Pontifices eruditissimi, quam de bastardo suo, recens nato, ad Sylvium Genitorem scripsit. Epist: XV. Item non sine suspicione verba Augustini sunt, cum ait: *nihil in puero meo habebam, præter peccatum.* Revocat ea Drexelius ad amissim & colligit, Augustino natum esse nothum. Quicquid sit. Viro nolumus facere injuriam: ast sanctiores impegere contra hunc carnis lapidem. Scriptura loquatur Patriarchas, Reges, sanctorumq; filios. Quorum cognitionem lectioni Historiæ comittimus: tam sacræ quam profanæ. Interea quod reliquum jerit paginæ, vitis nonnullorum Spuriorum, propter amœnitates historicas, impendemus.

§. XL. Si ad Gentilium primo nativitates volumus recurrere: non immerito Hercules, Princeps Ordinis spuriorum, primum obtinet locum: Qui natus ex Alcmena & Jove, atq; si fabulæ locus, propter fortunam in numerum Deorum collocatus. Hic tanta felicitate & fortitudine à superis beatus est, ut nemo mortalium ullo vixerit tempore, qui eo felicior fuerit, in expediendis negotiis heroicis. Dum Puer adhuc in cunabulis vagaret, duæ serpentes ad occidendum eum arreptarunt: ast fortuna talem heröem mori non concessit, sed infans fortis, manibus illas nudis contrivit. Postea cum abjecerit pueritiam, fortunam ut perpetuum Comitem habuit, ita ut quasi primo egressu leonem Nemeæum, qui ingentem in habitatoribus illius regionis intulerat damnun, & qui ob crudelitatem & laniatum omnibus progredientibus terrorem injecerat, manibus arreptum, ossa ejus perfregit, & cum leo tantæ magnitudinis

in-  
Aut  
Pa-  
vii,  
ens  
em  
in-  
d a-  
nic-  
ores  
qua-  
um  
cræ  
vitis  
cas,  
nus  
pu-  
a &  
um  
e à  
po-  
cis.  
s ad  
em  
idis  
ut  
eo-  
egi-  
um  
bus  
idi-  
nis

nis' esset, sibi è pelle ejus vestem paravit, quam semper postea gestavit. Sicut etiam pari fortitudine hydram Lerneam occidit. Plura intrepide gesta lege, in amicitat. Histor. G. S. quorum enumeratione se egregie delectat.

§. XLI. Non minor Theseus Atheniensium Rex, genitus ab Ægeo, fuit. Animus erat in eo sume heroicus, ita, ut nihil libentius audiret, quam gesta Herculis aliorumq; Heroum. Vitam sic instituit, ut neminem læderet, vim vero inferentes, ulcisci pensum haberet. Primum Periphetem Clavigerum, cum ab eo inhiberetur, progressuq; arceretur, congressus obtruncavit, clavaq; delectatus, teli loco eam in posterum semper habuit. Arcadem, qui lucta cum hospitibus decertans, vicit, viatum necavit & Danasten. Procusten interemit, coactum, quemadmodum ille peregrinos urgere consueverat, membra ad lecti mensuram extendere. Ille enim Procustes lectū habuit in quem peregrinos posuit, & si longiores eo, membra eminentia amputavit: si minores extendit. Nam Herculis exemplo, hunc morem in suppliciis sceleratorum observavit Theseus, ad hæc toleranda eos adi gens, quæ ii aliis imposuissent. Et quamvis ipsi, Athenis, ex veneno insidiæ struerentur; tamen, fortuna perpetuo Comite, periculum effugit. Ibi namq; ad mensam sedens Theseus cultrum Ægeo ostendit, quem statim hic agnovit & dejecto poculo venenoso, Theseum filium suum salutavit & successorem constituit. Post hæc Athenienses suos à tributo horribili, quod Minoi per novem annos, ob pacem initam, persolvere promiserant, auxilio Ariadnæ, Minois filia, liberavit. Dabant enim Athenienses septem Adolescentes & totidem virgines, projiciendas Minotauro. Cum vetero tempus tertii tributi immineret & cives lamentarent ob jaeturam filiorum suorum, ultro Theseus se obtulit & in Creatam ad Minotaurum proficiisci promisit. Nunc ve-

ro, quis crederet hunc salvum redditurum, nisi fortunam auxiliatricem habuisset. Ast ex eo quoq; periculo innoxius evasit, ut non solum Minotaurum interfecerit, sed etiam magno cum gaudio suorum, salvus redierit. Post mortem Patris Rempublicam bene instituit, & constitutam rete administravit. Alias in omnibus suis negotiis felix fuit. Et licet exitus aliquantulum ignominiosus fuerit; attamen felicior fuit ejus memoria, post mortem. Nam in honorem Thesei sepulchrum illustre est exstructum & ossa ejus in loculum magnum, qui Miltiadi in somnis, ab aquila rostro rupem molienti, ostensus est, recondita sunt. De quo Amœn: histor: p. 52. Com. Nat. LI. VIII. c. 9.

§. XLII. Non minori felicitate atq; fortitudine bellica præditum fuisse Carolum Martellum, Matth. Theatr. Historic. p. 811. probat. Nam non solum à patre hæres omnium bonorum suorum institutus est, sed postea quoque cum posteris suis ad summum dignitatis fastigium elevatus est. Citatus Autor de eo sic loquitur. Hic Carolus Martellus, invictæ virtutis vir, justitiæ ac æQUITATIS propugnator fuit. Licet enim ipse ex pellice prognatus, & à noverca Plectrude aliquandiu in vinculis detentus sit: tamen elapsus custodia, variis bellis dignitatem paternam recuperavit, quam Grionaldo fratri, ejusq; filio, Theobaldo, ademtam, Childecrus II. Rex Galliæ, auxilio Ducis Frisiorum Radbodi, (qui jam jam baptizandus, retracto pede, maluit cum majoribus esse in inferno, quam in cœlo cum Christianis.) Regino-fredo concesserat: Regem deinde à nutu suo penitus suspendit. Saxones, Suevos, & Bavarios compescuit, Frisios domitos fidem Christi profiteri cœgit. Saracanorum 385. millia, qui ex Hispania in Aquitaniam ab Edone Aquitanæ Duce evocati fuerant, uno prælio trucidavit, provinciaq; Edonis occupata, tot tantisq; factis promeruit, ut Galliarum

Pater



Pater diceretur. Neq; tantum in vita: sed etiam post mortem rara ejus felicitas in Posteritate fuit: Nam Pipinus ad Regiam dignitatem collocatus est, imo nativitatem Caroli M. Nepotis sui, tanquam splendida ac Lucida stella pronunciavit.

§. XLIII. Dicens historiam Martelli, moneor recurrere ad Regem Romanorum, ex Tullo & Serva, qua nomen: accepit, natum. Hic quoq; non parum fortunæ & fortitudinis ad frenandos Etruscos habuit, quos sepissime prælio vicit. Ab hoc Populus Romanus relatus est in censum. Transmigravit è mundo anno Regni XIV. Cyro jam universam Asiam tenente, cuius prudentiam, si historicis credere fas est, in ordinanda Republica æmulatum esse dixerim Servium. Idem primus fuit, qui signavit æs, cum antea rudi uterentur Romani, signatumq; est nota pecudum, unde & pecunia appellata. Cluverus in histor: 60.

§. XLIV. Vologesius illegitime natus Rex Parthorum fortunam quoq; Adjutricem habuit in bellis cum Romanis. Nam vivebat tempore Neronis à quo Armeniæ Rex invitit Romanis creatus erat, & habebat fratrem, qui postea ex parte Regni diadema deposuit & fratri reliquit.

§. XLV. Præclare quoq; exemplum fortunati spuriū, qui ad summam dignitatis gradum translatus est, invenimus in Galerio Maximino. Hic enim ex Parentibus ignobilibus & quidem illegitime profectus est. In juventute fuit Armamentarius, unde etiam nomen accepit. Postea vero ob generosum atq; excellentissimum animum & ingenium suum, Cæsar creatus est. Bellum cum Persis gerens Narsen Persarum duobus præliis fugavit. Deinde contigit quoq;, ut copias suas amiserit & vix vitam suam fugare potuerit. Hanc igitur Contumeliam vindicaturus noctu ex improviso castra hostilia aggressus est & vicit

au-  
kius  
iam  
hor-  
re-  
fuit.  
nen  
no-  
eius  
ro-  
quo  
lica  
Hi-  
uni-  
um  
est.  
us,  
uit.  
ru-  
sto-  
am  
de-  
qui  
bus  
no-  
su-  
ios  
85.  
ta-  
aq;  
um  
ter



cit Persas, Regis quoq; Conjugem & liberos captivos abduxit. Pace vero facta quinq; Provincias recuperavit & limitem imperii Tigridem constituit. Et licet acerrimus Christianorum persecutor fuerit, tamen ipse ad agnitionem veniens, Christum professus est & mortuus. Matth. Theat: hist: p. 653.

§. XLVI. Et quid dicam de Romulo, spurio, ex Rhea Sylvia, à Marte, puto, à satellite regio, compressa, nato. In pueritia fuit pastor & postea Rex primus Romanorum, urbem amplissimam, R̄omam condidit & fundamenta quartæ Monarchiæ posuit. In bello propter raptum virginum viator evasit, nec non in bellis cum multis gentibus Antem natibus & Vejentibus victoriam reportavit. Qui & in morte magnus, præq; cæteris mortalibus fuit eximius. Dicitur enim, Livio teste, quod inter nimbos & fulgura raptus fuerit in cœlum & æternitate donatus.

§. XLVII. Magna quoq; fortuna concomitavit Aurelianum Imperatorem, hic primo fuit filius Æditui, qui eum ex illegitimis nuptiis concepit, favore tamen Dei ad fastigium Imperii electus est Romani. Hic clarus quoq; fuit arte militari & militarem disciplinam rigidissime exercuit, vicario suo scribens: *Si vis Tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum cohibe.* Nemo pullum alienum rapiat. Nemo ovem contingat, Uvam nullus auferat. Segetem nemo deterat. In hospitio caste se agat. Qui litem fecerit, vapulet &c. Proinde clarissimas victorias adeptus est. Palmyrenos vicit, eorumq; Reginam, Zenobiam, formæ gratia, castitate, victoriis clarissimam cepit. In Triumpho duxit & Tetricum Anticæfarem. Hildebrand: p. 126.

§. XLIII. Nec his inferior fuit Arnulphus, Carolmanni Germanici, è nobili pellice filius, qui à fortuna sua & optimatibus Germanicæ suffectus est Patruo, corporis animiq;

miq; viribus enervato. Deinde, cum Nortmanni magnum  
regionibus ejus intulissent damnum, Arnulphus transmi-  
fit Rhenum fluvium & Nortmannos cum insultatione &  
derisu improperantes ad Tiliam amnem, atroci prælio de-  
vicit, vix cladis nuncium eis relinquens. Ubi & Dani, Nort-  
mannorum præcipui, duos amiserunt Reges, Gottfridum  
& Sigfridum, signaq; militaria, xvi. Deinde in Longo-  
bardiam Placentiam usq; pervasit. Præterea filio suo ac-  
quirit Regnum Lothariæ. Romam deinde, ubi tum coño-  
rabatur Lambertus, Guidonis filius occupavit, accepitq; à  
Pontifice coronam. Adversarios ejus plectit capite. Roma-  
nos juramento ad fidelitatem sibi præstandam obstringit.  
Quo major ejus fortuna. Gloria celebrior. Fama splendi-  
dior: cæteris spuriis Imperatoribus. Cluverus Epitom.  
Histor. 432.

§. XLIX. Prodeat adhuc Darius, cognomine Nothus,  
Rex Persarum, non ex legitimo matrimonio, sed è Babylo-  
nia pellice suscepitus: unde etiam nothi cognomen accepit:  
Hic per totam vitam suam fortuna afflatus est, ut æq; inter  
felicissimos spurios sit numerandus. Quæ facta & quæ bella  
gesserit, qua ratione clavum Imperii sit adeptus, narrant  
passim scriptores.

§. L. Nec fortitudo solum & imperandi prudentia in-  
ter virtutes spuriorum numeranda, sed etiam eruditio, &  
sapientia.

§. LI. Hic, sine dubio, primum locum occupabit Sa-  
lomon, de cuius sapientia multa multi scribunt. Fuit au-  
tem ut in scriptura sacra appellatur sapientissimus omnium  
hominum, qui unquam in hoc vixerunt mundo. Quare  
etiam, cum in somnis sibi à DEO data esset, petere, quid vel-  
let, ex amore sapientiæ non divitias, nec honorem, nec  
mortem inimici, sed sapientiam Regnum & subditos suos

D

recte

recte gubernandi precatus est. Id quod etiam largo fœnore impetravit. Tenebat quippe universam Syriam ab, Ægypto usq; ad Euphratrem. Templum pretiosissimum Deo exstruxit & multa alia prudenter & sapienter egit, de quibus sacra ubiq; personant.

§. LIII. Alexander Severus, teste Gabriele Palæoto, non minus ipse eruditus, sed eruditorum insignis amasius & Patronus. Id quod in solo Ulpiano peritissimo ICto, sat superq; ostendit: quem amavit, nutravit, honoravit.

§. LIII. Natus & Erasmus Roterodamus illegitime, in parva domuncula Roterodami, civitatis Hollandiæ ad Cœmitorium: Et tamen eruditione & ingenii dotibus tam insignis, ut perennanti fama hodie adhuc inscriptis suis immortalis post mortem vivat, et si laude vivus quoq; non caruerit. Magnatibus gratus. Virtuti non ingratus. Hinc olim, cum scripta ejus Rudolpho monstrarentur, prætulit Rudolphus illa cæteris, propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuræ apte ceu flosculos interspersos, eoq; adeo delectatus est, ut accersito ad se Erasmo, dixerit: *In eris olim magnus*, vel ut aliud quidam reddidit: *Tu, nisi me fallant omnia, magnus eris.* Matth: Theat: histor: p. 1015.

§. LIV. Quando oculos nostros in Homerum, Belli Trojani Scriptorem convertimus, magnam felicitatem atq; eruditionem reperimus. Hic quoq; spurius, & inter Doctores, ut Cluverus de eo refert, divina sapientia afflatos & sancto spiritu plenos, maximus extitit, qui fulgore carminum, solus appellari Poeta meruit: quamvis in eo culpatus à sapientioribus, quod narrationes rerum gestarum fœdissimis sepe fabulis conspurcaverit. Cluverus histor: p. 29.

§. LV. Et quid de fortuna ac sapientia Pomponii Læti, qui quoq; teste Sabellico, in ejus vita, ad Maurocenum, spurius

rius fuit. Hic Friderici III. tempore maxime floruit, qui adeo studuit Latinitati, ut græca attingere non auderet. Tantus fuit admirator Romanæ vetustatis, ut Christiano nomine rejecto, se dixerit Pomponium. Diem natalem Romæ sacrum habuit & Romulum coluit, seq; Dictatorem nominavit. Matth: 1015.

§. LVI. Petrus Lombardus, nativitate spurius, eruditione meruit, ut primus in Academia Parisiensi Doctor creatus fuerit. Matth: theat: histor: p. 921.

§. LVII. Gratianus, Monachus ex illegitimis nuptiis procreatus Decretorum opus, ex veterum statutis, sanctionibus & scriptis composuit; quo Juris Canonici studiosi hodie utuntur. Hoc opus Eugenius Pontifex approbavit, & in Academia puplice proponi mandavit. Martin: Polon: Trith.

§. LVIII. Inæstimabilem sapientiæ thesaurum possedit & Demosthenes, spurius, utpote qui Orator excellens fuit & de Patria sua meruit, ut eum post mortem inter heroes Atheniensium ponerent. Amœnit: histot: p. 716. Decreto quoq; ab Atheniensibus factum est, ut qui ex hac stirpe natus esset maximus, in Prytaneo aleretur. Basi etiam statuæ ejus Epigramma hoc adscriptum est.

*Si tibi vis, animo Demosthenis, aqua, fuisset;  
Non Macedum ferret Gracia vicia jugum.*

Matth: Theat: histor: p. 34°.

§. LIX. Diximus supra inter Sanctos non defuisse spuriorum natalium Parentes. Quid, si & inter eos spurios quoq; deprehendimus: quos tamen tegere magis, quam revelare modestia jubet, ne plejebo nascatur offendiculum. Alias Laurentium, origine illegitimum, Hispanum, primo loco dignaremur: qui propter fortunam ac erudititudinem

onem vocatus Diaconus & Thesaurarius Ecclesiæ Romanae: de quo Prudentius multa & magna differit. Sed studio eam spuriorum classem dimittemus.

§. LX. Sunt & duo Scaligeri, fratres, illegitime nati, Patre Josepho, cuius prosapia usq; ad Principes Veroneses extenditur. Alter Criticus & Grammaticus acerimus, Poëta excellens, Philosophus eruditissimus, Et alter in Medicina Æsculapius, cuius scripta ab eodem edita nomen per omnem posteritatem immortale reddiderunt.

§. LXI. Agmen claudat celeberrimus iste Ictus, Jason illegitime natus, apud Matth: in Theat. Histor. quem quodam tempore Ludovicus XII. Gallorum Rex auditorium ingressus inter studiosos confidens, docentem per horam, summa admiratione audiebat. Post lectionem vero sibi à latere comitem esse volebat, teſto capite, eumq; toga aurea donabat p. 78.

Et hæc sunt quæ in præsenti de Fortuna Spuriorum adducere tyro potui. Non pœnitentia te Lectorem, hæc legisse. Non enim voluntatem meam & conatum reprehendes, cum vires defint. In juventute enim & voluisse sat est. Primitiæ hæc meæ sunt. Olim meliora. Condonabis interim non, tam studio meo, quam ætati: & mento, quod is, qui nunquam male, nunquam possit bene.

Siquidem in aure tibi relinquo: Post hæc ipsum Dominum Præsidem in hoc argumento meliorem historiam scripturum,



## Nonnulla miscella Præsidis.

**I**uxuries insignis est Oratorum, quos Vossianus pungit affectus, ut tria confiteantur dicendi genera: cum rerum classes singulæ inter se communient, & argumenta Generis Juridicalis, etiam Generis Demonstrativi & Deliberativi, & vice versa, esse possint. Hinc Genus dicendi unum agnoscere movemur.

De Schematibus verborum non est, quoddentur regulæ, cum ea sint accidentia naturalia. Quorum usum ab Oratione non raro removemus. In Poësi vero Statistica, in Inscriptionibus, decus omnino affundunt & gratiam scripti, majorem, quam Adamas auro.

Cum sale considerandus est locus Lutheri. Tom. II. Jenens. de Turca, si dicit: Christiani, si pugnant contra Turcam, idē faciunt, ac si contra Deū pugnarent. Medicum seu primum seu tantum invoces ægrotus, qui DEO placeas?

Cui non obstat notissimum illud Forstneri ex Boccalino, ad Tacit. Satius atq; optabilius esse pro Germanis, amittere Viennam, quam non recuperare Budam.

Uni qui parcit Turco, decem occidit Christianos: Sed gentis stipitem evelli, haut bonum est Protestantibus. Script. anon. Consil. Bell.

Solū Regnū Poloniæ præstat Regnis Galliæ & Hispaniæ.  
Si limam Dissertationi addere voluisssem, Manzeres

quoq; inferuissem, Hebræorum Spuriorum speciem peculia-  
rem: quorum oblitus Dn. est Autor. Quærenti vero, unde  
sint, exponemus in discursu.

**U**rcia ruit præceps & mundo  
spargere lites  
Discipit: ast Heldreich ven-  
tilat hasce theses.

Non minor est sic qui pugnat, quam for-  
tior armis.

Ergo tibi felix pugna relicta siet.

**C**ONRADUS à POSERN. Consil. Aul.

Ad Nobilissimum Dominum Re-  
spondentem.

**S**nieder kan sein Glück ihm selbsten  
schmieden; (tet ein:  
Wenn er sein Thun nur also rich-  
Damit von ihm das Göse sey vermieden;  
Hingegen auch swas heilig/gut und rein/  
Erfieset wird. Dann muß Fortuna kom-  
men; (ber spricht;  
Zumahl wenn Gott den Segen drü-  
Das

Das Unglück trifft den Bösen / nicht den  
Grominen;  
Weil ihm so nicht/ wie jenem/ Wiß ge-  
bricht.

Die **W**Ottes-Gurct muß diese Klugheit  
bringen,  
Damit man recht das gute Glücke  
wehlt;  
Das wolle sich mein Freund ! stets umb ihn  
schlingen;  
Bis er nicht mehr die Lebens-Jahre  
zehlt.

Eobias Heidenreich/ J. U. L.  
& Consil: Saxon: & P. P.

---

**M**usarum in castris, HELDREICHI,  
perge, parata  
Præmia grata tibi sedulitatis erunt.

Gratulab. scribeb.

Johannes Andreas Olearius, D.

Et

*QH*  
*Thesaurus Antiquitatum*  
**E**T fortuna juvat spurios, qui desit Alumnis  
Eusebii? id non falsus, Amice, putas.

*Thesaurus Antiquitatum*  
**Johann Schieferdecker / 25.**

*6953*  
**F**ortiter Heldreichus dum disputat ore ro-  
tundo,  
Est *Heros dives*. Gratulor. Hector erit.

**PRÆSES.**

**H**eroes hem dives! generosâ stirpe creatus  
Est qui divitias animi custodit & auget  
Majorum. Ditis verè cognomine dignus.  
Subdubitas LECTOR? Præsentia sifito menti.  
De Spuriis, ditem testatur docta loqua  
Doctrinam. Res ipsa docet. Tu NUMEN adora  
Me cum cunctipotens, bona porrò cœpta se-  
cundet.

**Heros dives erit.** Post seraq; secla superstes.

*His Fautor & Amico suo sincerum declarabat  
affidum*

**I. G. H.**


*NOM*

Venerem illi  
nascuntur.

§. III. C  
nata si sunt, f  
interdum leg  
splendorem  
stra hæc mor  
natis, per ali  
subjiciam, o  
sit salus spuri  
tales. Venia  
ætati, quæ no  
Marte propri  
superior Nu

§. IV. Duo  
fortuna videlic  
signification  
ligimus fertu  
us loquendo  
Aliud quippe  
litico. Priori  
electione, finis al  
tur Casui, qui c  
quæ nostræ e  
tur vel pro ef  
minibus sub  
citas & infeli  
est, quod nos  
pla melius re  
ro noster er  
Politici.

§. v. Est  
tellexere For



. Hinc spurii  
riam monstris,  
di spuriis, quos  
ndum virtutis  
re etiam mon  
tis, & honeste  
æ Eruditorum  
gis major sepe  
nesti fuere na  
uvenili, meæq;  
n scripti hujus,  
em quippe vis  
Labyrintho.  
meæ afficiunt,  
dum aliquid de  
n hic non intel  
quæ, accurati  
mode accipitur.  
udin sensu po  
iis, quæ agunt cum  
l. 52. & opponi  
ori vero modo,  
ica est, & sumi  
felicitatem ho  
ausa, à qua fel  
ensu priori, non  
casus & exem  
n posteriori ve  
mium fatigant  
quam olim in  
æcam, & rotæ  
insisten-